



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 4. Quandonam præceptum Fidei internæ obligat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**



*Not.* Parochi, Confessarii, & Concionatores tenentur eam scientiam rerum Fidei, & præceptorum habere, ut & aliis explicare, & difficultates saltem communes intelligere, ac diluere possint; alioqui non possunt alios rectè instituere, ex Malach. 2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Episcopi verò longè ampliorem & perfectiorem cognitionem habere debent, cum ex officio teneantur fidem explicare, tueri, & fallacias hæreticorum dissolvere. ex cap. 1. ad Tit. & 1. Tim. 3. *Oportet Episcopum esse Doctorem.*

Q. 4. *Quandonam præceptum Fidei interne obligat?*

*Not.* Præceptum aliud est affirmativum, aliud negativum; affirmativum est, quod aliquem actum positivum præcipit primario, & ratione sui; obligatque semper, sed non pro omni tempore. *Præcepta affirmativa.* (inquit S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2.) *non obligant ad semper, & etsi semper obligent. Obligant autem pro loco, & tempore secundum alias circumstantias debitas...* Præceptum negativum est illud, quod vetat aliquem actum, obligatque semper, & pro omni tempore. In quolibet autem præcepto affirmativo divino, quo præcipitur



actus virtutis, includitur præceptum negativum, quo prohibetur peccatum oppositum: nam ex affirmatione alicujus re-  
 ctè infertur negatio contrarii illius.

*Resp. I.* Duplex est Fidei divinæ præceptum, aliud affirmativum, quod nos obligat ad credendum certo tempore explicitè certas veritates revelatas, implicitè verò cæteras omnes, & ad ediscendas res Fidei. Aliud negativum, quod obligat ad nunquam dissentendum ulli rei à Deo revelatæ, nec de ulla dubitandum: nam dissentire uni veritati vel minimæ, sufficienter propositæ, ut à Deo revelatæ, aut de illa deliberatè dubitare, est gravissima injuria in Deum, quasi in aliqua re falli, aut fallere possit, & ejus testimonium non sit in omnibus etiam minimis infallibile.

*Resp. II.* Præceptum Fidei obligat per se ad eliciendum actum Fidei. 1. Initio usus rationis, ubi res credendæ sufficienter propositæ sunt ut à Deo revelatæ. Tunc enim assensus omitti aut suspendi nequit sine injuria gravi auctoritatis divinæ: Hoc ipso enim quòd Deus revelavit aliqua, ut à nobis credantur, & talis revelatio nobis sufficienter proposita est, ita ut eam prudenter negare, aut de ea dubitare nequeamus; reverentia debita divinæ veracitati, quam cultu intellectuali supremo colere debemus, exigit, ut rebus revelatis firmissimum assensum statim præbeamus,

mus,



mus, quem tunc sine gravi irreverentia negare, vel omittere non possumus. Præterea tenentur adulti, ubi primùm possunt, debitum mentis obsequium Deo præstare, se, & omnia sua in Deum ut finem ultimum dirigere: ad quod necessaria est fides actualis. Idem dic de infidelibus adultis, ubi primùm fides Catholica sufficienter eis proposita est.

2. In quolibet probabili mortis periculo: quia tunc maximè urget obligatio tendendi in Deum, eumque colendi per actus præcipuos virtutum. Deus autem, (ut docet S. August.) Fide, Spe, & Charitate maximè colitur. Præterea justus sicut vivere, sic mori debet ex fide.

3. Sæpe in vita: nam præceptum tam gravis momenti non pro aliquibus vicibus solùm, sed pro plurimis à Deo sancitum est; cùm actibus Fidei Deus maximè colatur, & vita justi per illos alatur, ac conservetur, juxta illud ad Gal. 3. *Justus ex fide vivit.* Hinc Innoc. XI. damnavit has propos. 17<sup>a</sup>. *Satis est actum Fidei semel in vita elicere.* 65<sup>a</sup>. *Sufficit ista Mysteria (Trinitatis, & Incarnationis) semel credidisse.*

4. Cùm gravis tentatio contra fidem ingruit, quæ superari non posse videatur, nisi per contrarium actum Fidei: nam cùm hoc præceptum Fidei prohibeat omnem dissensum, ac dubitationem circa veritates



revelatas, præcipit etiam media necessaria ad hæc vitanda.

5. Quando facienda est Professio Fidei exterior: nam sine actu interno non esset vera professio Fidei, sed illius simulatio.

6. Quoties quis in hæresim, vel dubitationem voluntariam lapsus est: quia actus Fidei explicitus, ac formalis, necessarius est ad justificationem in adulto, qui Fidei habitu caret; & quia injuria primæ veritati illata resarcienda est.

Obligat autem per accidens, seu ratione alterius præcepti, ad quod servandum necessarius est actus Fidei. 1. Quando urget gravis tentatio contra aliam virtutem, quæ sine actu Fidei vinci posse non videtur: nam quisque tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum. 2. Quoties ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, puta Spei, Charitatis, Religionis, Pœnitentiæ, &c. Nam actus virtutum supernaturales necessario præsupponunt actum Fidei saltem implicitum, seu imperceptibilem. 3. Actus Fidei requiritur ad justificationem peccatoris adulti.

## CAPUT II.

*De actu externo, seu Confessione Fidei.*

Q. I. **A**N extat præceptum confitendi exterius fidem suo tempore?

*Resp.*